

Cum Porsena apud Romam pervenisset, obsides a Romanis accepit ne urbem oppugnaret. Inter obsides Cloelia quoque erat, nobilis virgo, una cum¹ multis aliis virginibus puerisque. Cum regis castra haud procul a Tibēris ripa locata essent, Cloelia, deceptis custodibus, virginum agminis dux, inter hostium tela Tibērim tranavit. Quod cum rex cognovisset, statim, incensus ira, legatos Romam misit ad reposcendam ex foedere Cloeliam;² quam Romani restituerunt. Tum rex, Cloeliae virtutem admiratus,³ non solum eam laudavit, sed etiam partem obsidum ei donavit, concessitque ut eligeret quos ipsa vellet.⁴ Productis omnibus obsidibus, Cloelia elegit pueros, quorum aetatem maxime opportunam⁵ iniuriae videbat. Romani novam in femina virtutem novo honoris genere honoraverunt, statua equestri.